P. SCRIVERII
SATURNALIA,
Continentia usum & abusum
TABACI.

Amoliendæ invidiæ Hexastichon.

MOME, quid innocuos, culpas mea pignora, lusus,
Et tetricâ blandos exigis aure jocos?
Quod si non aliis, ciniflonibus ista papyrus
Serviet, & si quos fistula sumpta juvat.
Non benè succendes candelâ, aut sulphure plantam;
Aptior è libro charta petita meo.

Aliud.

RIdis & irrides mea Saturnalia, Mome,
Et damnas Batavæ simplicitatis opus?
Non indigna quidē tunc carmina luce putabis,
Lucebit sulto cum mea charta Peto.

Ad

Ad Lectorem.

CArmina Saturni mihi condita quinque diebus.
Qui legis, haud omni felle carere putes.
Scripsimus in satiros, complentesque omnia fumis
Atria (proh nullo fine!) Tabacibibas.
Lemmata carminibus cur sunt adjecta, requires?
Carmina si nolis, lemmata sola legas.

Raræ doctrinæ, atque amœnissimi ingenii viro,

D. GREGORIO Vander PLASSE,

HARL. MED.

Municipi & Amico suo præstantissimo,
Q. L. C. Q. A. M. L. M. M.
PETRVS SCRIVERIVS.

DUm passim aut ludunt, aut Bacchanalia vivunt,
Detinet & segnes ebria Bruma viros,
Crebraque fœtentis potatur canna tabaci,
Claudere secretum cogor odore locum:
Inque novos istos epigramata condere fumos.
En tibi: nam, PLASSI, scripsimus ista tibi;
Apta tuis curis, alibi vir gnave locandis,
Ne

Ne medicam frustra postulet æger opem.
Sunt brevia hæc : nec tu sinuosa volumina tractes;
Aut relegas summi grande Maronis opus.
Otia permittant ægri, ludicra petuntur ;
Quique animum recreet, scriptor amœnus adest.
Me lege ; nulla mora est. Sed perlege tempore primo :
Si differs, nusquam carmina forsan erunt.
Carmina fumosam leviter celebrantia plantam,
Cum fumo (vereor) sunt peritura suo.

Aliud.

Inscriptum eidem Plassio suo.

Pœnula ne piperi desit, desitve Tabaco,
Aut toga præscriptis, Doctor amœne, tuis :
Protinus illevi perituris carmina chartis,
Quosque petit nudos ebria Bruma sales.
Hæc mihi tesserulæ, talique, hæc charta fritillus;
Nescit damnosos ista tabella canes.
Innocuique placent lusus antè omnia vati.
Non plorat certè sacculus inde meus.
Haud lucrum hæc, fateor, sed nec facit alea damnum.
Ah ! semel, ô Musæ, sit doluisse satis.
Accipe fumificum, Plassi, explicitura Tabacum
Saturnalitio carmina ficta luto.
Non lusisse operam, si legeris ista, putabor.
Sic etiam chartas perdere: nomen erit.

Harlemi, Ipsis Saturnalibus 1628.

P. SCRI-

P. SCRIVERII DE TOBACO SCEDIUM,

Iteratò editum, atque auctum.

Species & nomina aliquot PLANTÆ.

1. *Tabacum.*

UNde rogas, nomen mihi sit vulgare? Tabasco
Insula tam raris dixerit aucta bonis.

2. *Tabacum latifolium.*

APpellare marem Medici didicere Tabacum,
Mascula quòd crudis convenit herba viris.

3. *Tabacum angustifolium.*

FOemina quin etiam medicis reperitur in hortis.
Ergò, Petina, secus te quoque molle petit.

4. *Petinæ, seu Peti aqua.*

NOn omnis mulier fumo se pascit inani,
Lucinam petâ sed veneratur aquâ.

5. *Idem.*

5. *Idem.*

FOemina difficilem fœtum exclusura, Tebaci
Provida potet aquam: sic citò mater erit.

6. *Etymon Petinæ.*

BArbara vox petin est; cerebrum quoque barbarus usus
Sæpè petit: dici hinc nonne Petina potest?

7. *Piperina.*

QUod caleam, & nimium siccem mortalia corda,
Quis nescit? fortè hinc & Piperina vocor.

8. *Nicotiana.*

GAllus ab Eoâ me gente Nicotius olim
Misit; ab illustri sic mihi fama viro.

9. *Herba S. Crucis.*

ME cruce figendus, † carcer vix carcere dignus,
Potat: & hinc dicor forsitan Herba-crucis.

10. *Sana-sancta herba.*

SAna mihi nomen, quòd multa incommoda sanem:
Omnia si possim, jam Panacéa ferar.

† *Lucilij Satyregraphi fragmentum.* Vide antiqua in Terentii Scholia.

10. *Herba*

11. *Herba Reginæ, & Medicea.*

HErbarum meritò possim Regina vocari;
Et placitū Medicis, ut Medicéa vocer.
Confusumq; volunt Panacéæ nomen, & usum.
Sed mihi (si quæras) plus Medicéa placet.

12. *Catharinaria.*

CUm purgem nares, tollamque à stirpe catarrhos-
Hellados à populo nomen habere putor.

13. *Aliud.*

QUis dubitet muccos cerebri purgare Tabacum,
Contulit agnomen cui Catharina suum?

14. *Herba magni Priorū.*

QUod mea præ reliquis celebretur gloria plantis;
Hinc herbæ nomen fortè Prioris erit.

15. *Tabacum Farinense.*

DEsipit, heu, fumos admittens naribus omnis.
Farini fumum qui bibit, ille sapit.

16. *Alimonium ex fumo.*

NOn epulis tantum, non Bacchi pascimur usu;
Pascimur & fumis. Ingeniosa gula est.

17. *Aliud*

17. *Aliud de eodem.*

EC qua fames terrere potest te, Belgica felix?
Urbeque in obsessa quis metus hostis erit?
Portu etiam clauso, palmam desperet Iberus,
Obsessus fumo si satur esse potest.

18. *In Cæsium Fabrum.*

LEgistine meum, FABER, poëtam,
Festivorum Epigrammatum poëtam.
Quem dat Bilbilis alta, Martialem?
Legisti. puto. Nam † sine arte mensam,
Quam commendat, amas; nihilque malis,
Præter fumificum, FABER, tabacum.
Una atque altera canna præbentur.
Jam mensa est tibi, jam parata cœna;
Quam præfers Catiis, Apiciisque.
Atque hæc pocula (nam Nicotiana
Bibi creditur) æstimas beatis
Cænis Pontificum beatiora.
Nunc, ô, dicite Cæsii sodales.
Nunquid conveniens decensque nomen
Huic lustralibus inditum diebus?
Contentus Faber arido tabaco,
Ipsis regibus invidere nescit.
FORTUNÆ ergò SUÆ FABER feratur.

Suum vocat quia edidit Auctor Martialē accuratè castigatū.

†*Convictus facilis sine arte mēsa. inter ea quæ vitā faciūt beatiorē*

19. *Fumis Saturnalitiis.*

DUm toga per quinas gaudet requiescere luces:
Et fora prolatis otia rebus amant.
Hunc sibi, sollemni quia non patet area fumo,
Causidicus fumum fumere jure potest.

Martia. lib. x. Epig. 47.

20. *Idem.*

IAm convivia divites frequentant
Saturnalibus optimo dierum,
Et tristi domicœnio laborat
Pauper TUTILIUS: bibat tabacum.

21. *Aliud.*

CUm levet Eoo jam dudum advecta caplo
Herba famem; dic. cur dicitur illa bibi?

22. *I. Bapt. Exsulii Epigramma.*

Q. Bibaturne, an comedatur
Tabacum;

COmbibat an comedat vulgus triviale tabacum,
Quæro diu; fumus cùm neque possit edi,
Herbave sicca bibi. Quæ vox magis apta, decensque;
Gustata est neutro cùm mihi planta modo.
An quia post sumptam petitur cervisia; rectè
Dicetur comedi, non benè planta bibi?

Sequuntur Æmuleta abusui reprimendo.

A. Nisolii præfatio.

CUr, cum sacra verent adoleri thura Britanni,
Subjicere ex fumos ausus Jacche Peti?
Respi-

Respicit externas gens ista domestica dotes,
Et venit Eoo quod colat orbe domi?
Non minus externum (quis nescit thure tabacum:
Masculo sed crudis convenit herba viris.
Quis neget egregium fumantis ab ubere plantæ
Numen ali, & multo corda furore quati?
Mnesthea fumibubum circumfremat Æolus arrox,
Et Thetis, infrà sunt ventus & unda Petum.
Fumiget Authomedon; Phaëtontia crimina temnit.
Et cantat vacuos ignibus esse Deos.
Hinc Bellona vomit furias, hinc induit arma,
Potat opes Hermes, Dædaleæque manus,
Sed neque cura peti doctas frustratur Athenas,
Dantque manum caveæ, pulpita dantque manum.
Seu Themis, aut Melice libet, seu culta Minerva,
Quisque sapit genios artis inesse suæ.
Quid! nec Aristides augusta palatia scandit,
Ni præeat fumis ista Suada suis.
Lectus, mensa, scholæ, fora, publica, priva, tabaco,
Omnia & hâc unâ fumigat hora prece.
Ergo, ô Bacche, tuis hæc thura putabimus aris.
Quæ capit angusto testea canna sinu?
Haud temerè: templis quondam & solennibus horis,
Nunc poteris semper, nunc & ubique coli.

I. *Ad Philopcapnum*

Tabaci hauſtus immodicus noxius, & lethalis.

IMmodicus quibus eſt uſus, *Philocapne*, tabaci.
Mortiferum certis dixit Hygera notis.

II. *Aliud.*

SOnticus eſt morbus, vix eſt medicina tabacum.
Phœbe pater! qui nos liberet, ecquis erit?

III. *Aliud.*

QUid nimio, *Philocapne*, juvat marceſcere fumo?
Bulla homo; ſed ſubitò ſic homo fumus erit.

IV. *Aliud in Flaccum.*

DIſce vel ex illis, quos fundis in aëra, fumis;
Te fore vel fumū; vel citò, FLACCE, nihil.

V. *Aliud in typum ſuffumigii.*

HÆc vitæ imago: fumus, atque herbæ vapos
Humana cuncta, & verbo, ut abſolvam, nihil.

VI. *Aliud.*

CUr manibus veſtris, ciniſlones, fiſtula ſemper
Hæret? an in cineres vita redacta placet?

VII. *In*

VII. *In Fistulam Tabaci.*

DEcipit incautos, juvenesque, senesque tabaci
Fistula; de Satanæ fistula rapta manu.
Dum struit insidias turdis, dum decipit auceps.
Ut capiantur aves, fistula dulce canit.
Fistula dulce sapit philocapnis fulta tabaco:
Illa sed ad Stygias fistula ducit aquas.

VIII. *Eadem loquitur.*

COmmendor passim (sed falso) fistula vitæ;
Crede, per antiphrasin nomina nata mihi.
Illa hominum raptrix, Parca est, & prælia, bella.
Fistula sic vitæ, fistula mortis ero.

IX. *De eadem.*

EBria mors nuper figlinam intrasse tabernam.
Dicitur, interitus & meditata novos.
Fistula letifero tunc prodiit apta tabaco:
Saturnalitio lusit & ipsa luto.

X. *In Menapiscum.*

OS tibi semper hiat sumpto *Menapisce* Tabaco;
Et nasum Æolii carceris instar habes.
Quid mirum, dites te semper flare parentes,
Pinguiaque Utopici jugera multa soli.
At ne divitias, quas flandi sorte parasti.
Flando etiam amittas, flator inepte, vide.

XI. *Impurum os Philocapni.*

OS nasumque hominis qui dixerit esse Caminum,
Per cujus biforem Permeet aura viam.
Magnaque vis fumi, à vero non prorsus aberret:
Non tamen hos habitat Vesta pudica focos.

XII. *In eundem.*

SI bibere est, tumidis fumos admittere buccis:
Cur mingi naso non, *Philocapne*, putem?

XIII. *In Blenni polyposi suffumigium.*

CUm te conspicerem minore naso
Fœdo nequiter immori tabaco:
Nasutos opus hoc decere, dixi.
Queisque esset spatium capax camini,
Ut mucco sua, libera & catarrho
Pateret via, *Blenne*, sordidique
Exirent olido vapore fumi.
Quid nunc flantibus undecúnque ventis,
Et Cauro dominante, me salutas
Sumpto bis, puto, quinquies tabaco?
Est ingens tibi nasus, ampliorque
Jam fumo via; sed repente nata.
Unde? an quod vitium subesse credam?
Nasutum volo, nolo Polyposum.

XIV. *Aliud in Blennum.*

VIcini possum fumos tolerare camini:
Sed fumum nasi non fero, *Blenne*, tui.

XV. *Ad eundem.*

Petina, fœtutina.

SIt quodcunque voles mihi fœtutina Petina est,
Pœnè ut me nullis naribus esse velim.

XVI. *De invitatione Cinnæ.*

UT secum biberem, me nuper *Cinna* vocavit:
Cum veni, fumis me necat ille suis.
Hoc bibere est? alios sibi quærat *Cinna* sodales.
Olfacere hæc nequeo pocula quid biberem?

XVII. *In Aprum.*

OPtima quæ fumi nota, primo dicere gustu
Novit *Aper*: fumi sunt, *Aper*, ergò mali.

XVIII. *In quendam seniorem, Tabaco dedstum.*

NOn nunc, *ô mores! Perversa ô tempora!* dicam.
Accedant tantis cùm nova monstra malis?
Sugitur, ecce, viris inamœni fistula fumi.
Infantes sumus, & dicimur esse *Senes*.

XIX. *Prosopopœia Tabaci.*

CUm medicos possem servari semper in usus,
Et condi capsis, Pharmacopœe, tuis:
Cur me Caupones, nautæ, stabulique ministri
Consumunt flammis, & placet igne cinis?
Cur immortales mihi sex denuntiat iras?
Ludibrium vulgò cur Medicéa feror?
Non merui certè flammis tam vilibus uti.
Pœna sit hæc populi: non ego, at ille nocens.

XX. *Vectigal, providentiâ Ordinum, superioribus annis Tabaco impositum.*

VEndiderat fumos populo liberrimus Ollus;
Dignus ob hoc, fumos qui pateretur, erat.
Roma necat fumo, quia fumos vendidit, Ollum:
Scilicet impostor quid nisi verba dedit!
Multi hodie vendunt circum pallatia fumos,
Et squallent fumis limina sacra suis.
Impunè, heu, fumus (tacitè indignante Batavo)
Venditur, & fumum plurimus hospes amat.
Non sine fraude tamen fumum quemcumque propinat.
Ardelio: sæpè est scilicet ille nocens.
Ut quoque fumificâ celebratum laude tabacum,
Quod petat hos, illos, jure Petina mihi est.
Fumo alii satagunt, alios emungere nummis:
Maximus in fumum sæpè Philippus abit.
Si vi-

Si viridi ligno, fumos qui vendere gaudent
Plectantur; vix fit sylva Batava satis.
Nostra sed Ausonios ignorat terra Severos;
Et Domini prorsus mitia corda gerunt.
At vectigalem generosa Batavia fumum
Reddit, & hic aliquas sedula radit opes,
Incendi quereris pretium, *Philocapne*, tabaci?
Sic placitum. Fumi sit tibi parca sitis.

XXI. *De eodem.*

QUid vectigalem prodest fecisse Petinam?
Ut tandem possit parcius illa bibi.

XXII. *Aliud.*

IMposita Eoo nuper, *Philocapne*, tabaco
Fibula quid præstat? carius ut coëmas.

XXIII. *Iocus.*

LEx de venali nuper vulgata tabaco:
Et dubitas herbam dicere legitimam?

XXIV. *Iocus alius in Philocapnum.*

LEx laribus nostrisque brevi figenda caminis.
Quid tibi cum scito? non domus ulla tibi.
Crede tamen, vix liber eris, *Philocapne*; caminos
Tres puto te, minimùm vel numerare duos.

XXV. CO-

XXV. CORONIS.

In commendationem hujus Libelli.

Ad Philocapnum.

SI sapias, *Philocapne*, tuo jam cedet ab ore
Turgida fumoso testea canna Peto.
Pluris erit monitrix hæc docti fistula vatis.
Barbare, quid renuis? non sapis, atque sapis.

PETRI SCRIVERII *Extemporalium jocorum Finis.*

Ænigma de Tabaco.

Ex *Caspari Barlæi Ænigmatum Libello, adjuncto Poëmatum libris.*

NOn bibor, & bibor. & populo sum potus & haud sum.
Mandor ab Occiduis: nec tamen esca fui.
Cùm bibor, ipsa sitis crescit, sum victima vulgi,
Torqueor, incidor, torreor, uror idem.
Consedere viri, &, conspecto munere Divum,
Quælibet exitio est dextra reperta meo.
Pars in frusta secant, pars igni humentia siccant
Corpora, pars flammas admovet, atque faces
Otia qui fugiunt, in nobis otia perdunt,
Et magnâ peragunt sedulitate nihil.
Quo capior, perdor, quo claudor, pellor ab ore.
Nostraq; mox diffiat fercula, quisquis amat.
Quæ mihi, quæ nitidos aperis, matrona penates,
Præmia tam clari sputa laboris habe.

EX